Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1445
Quelle:
Copyright:

ſub uecordie modio delituerat, hac ſacra Synodo Conſtan. Anno domini M° CCCC° XV. menſ. aprilis die ſexta, quo ad Decretum *h. a.* et *d.* in *Seſſione gen.* V. datum alludit contra eos, qui pro arbitrio ſuo, etiam in habitu diſſimulato e Concilio diſparebant. Ait *ſancte doctorem memorie venerabilem illum Linconienſem* (Robert. Groſthead) *perſonaliter, non per nuncium thus obtuliſſe pape* dicendo inter alia: *papalis thronus ſicut ſol poſitus eſt in firmamento mundi, per quem toti orbi lumen celitus deriuatur;* ſed *obtuliſſe eciam intrepidum mirram correpcionis amare: Cum omnia in terris poſſit, nichil tamen contra deum poteſt apoſtolice ſedis ſanctitas diuiniſſima* &c. *Wiclefum*, cujus oſſa factus Epiſcopus *Lincoln.* exhumari et comburi juſſit, adpellat *Spinam, que in illo floridiſſimo ſerto ſancte fidei* (Academia Oxon.) *ſic altiſſimi paciencia volente ſuccreuit* &c. Sermonis hujus mentionem facit in illo, quem primum retuli.

Fol. 280. *Sermo* interpoſitus in illud *Joh. 2. Nuptie facte ſunt in cana galilee* &c. Dom. II. poſt Epiph. quae in Feſtum *Antonii* Anach. 17. *Jan.* inciderat, unde pars magna Sermonis in hujus laudibus inſumitur. Initium eſt: *Si dum nupcie facte ſunt in chana galilee erat mater ihesu ibi, aſſis et tu pia mater ihesu* &c. Eſt *Joh. Gerſonis* et legitur edit. *Opp.* dictae *Antverp.* re vero *Amſtelod.* T. II. *col.* 349.

Fol. 296. *Sermo IV. Rich. Fleming Conſtan. in Concilio generali In obitu M. Wilhelmi Corff de Anglia Sacre theologie profeſſoris anno dominico M°. CCCC°.* XVII. Nihil de hoc Viro mihi compertum aliud, quam, quod a *Sigismundo* Rom. Rege cum aliis adhibitus ſit in deliberatione de componendo cum *Friderico Auſtriaco*, ut habetur in *Concill. Labb.* T. XVI. edit. *Venet. col.* 125. ubi *Corve* audit, rite fortaſſis, aut fortaſſis communi Nominum praecipue germanicorum in vaſto hoc Opere calamitate corrupte. Sermo init: *In Chriſto Rev^mi.* &c. *Inuocato primitus mortis atque vite datoris preſidio, in quo fidelium ſpiritus depoſito carnis onere quieta et perenni felicitate letantur pro recolenda memoria Honorabilis Magiſtri huius et doctoris clariſſimi, cui hodie humanitatis officia exhibemus, occurrunt pro themate verba apoſtoli tranſumptive contenta in epiſtola dominicali preſentis ebdomade, ſaltem ſecundum nos* (Anglos) *qui primam Dominicam* (poſt Pentec.) *facimus in octaua trinitatis, originaliterque habentur ad Rom. in VI. c. et ſunt hec. Quod mortuus eſt, mortuus eſt ſemel, quod autem viuit, viuit Deo.* Igitur Exequiae celebratae ſunt intra noſtram Hebdomadam Dom. VI. poſt Pentec. Fuit autem Defunctus *de clara et fideli proſapia ortum ducens, Officio prepoſitus illius famoſi et inſignis collegij in alma Vniuerſitate Studij Oxonien. quod ex fundacione regum Anglie illuſtrium Aula regalis* (Orielenſe Collegium) *dicitur, de preſentatione deſtinatus ad hoc ſacrum Concilium*